

# Kreis Büren. S. 4

1223 Münster.

[5]

Bischof Dietrich von Münster an Pfarrer, Richter und Bürger in Beckum wegen des Klosters Clarholz.

Ego Theodericus Dei gratia Monasteriensis ecclesie episcopus dilectis et fidelibus suis plebano, iudici et omnibus in Bekehem civibus, sed et universis Christi fidelibus tam futuris quam presentibus salutem et omne bonum. Quia supercrescente hominum malicia multas oppressiones ubique patitur Dei ecclesia, tam ex pietate quam ex officii nostri ratione religiosorum ecclesias ab iniuriis hominum defensare, quatinus ipsarum ecclesiarum oraciones tanto efficacius nobis pervenient ad salutem, quanto magis per nostram defensionem habuerint pacem et quietem. Igitur quia dilecti filii et fideles amici nostri prepositus et fratres in Clarholt nobis conquesti sunt, quod quidam violenter et iniuriose suam turbare presumunt ecclesiam in decima sua, que est in villis Aldendorpe, Ludwic, Holthem, tibi, frater plebane, mandamus et districte precipimus, quatinus ex parte nostra sub pena excommunicationis prohibeas, ne quis iam dictam ecclesiam in eadem iniuriose aut violenter disturbet decima, et omnes tuos parrochianos, de quorum domibus solvenda est decima, ut Clarholtensi debitum persolvant ecclesie, per censuram ecclesiasticam compellas; vobis eciam civibus et aride mandamus, quatinus eidem fideliter, in quocunque potestis, assistetis ecclesie, precipue ne in sua iniuriam paciatur decima. Notum enim facimus tam vobis quam omnibus presentibus et futuris, quod Clarholtensis ecclesia eandem decimam de manu predecessorum nostrorum et nostra iam per multos annos quiete et iusta tenuit et tenet possessione; auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra sub pena excommunicationis districte prohibemus, ne quis eandem ecclesiam in predicta inquitare (!) presumat decima; quod si quis fecerit, anathema sit. Datum Monasterii anno gracie M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXIII<sup>o</sup> indictione XI.

Abchrift im Kopiar 13. Hds. — Regest nach dem Orig. im Fürstl. Archiv zu Rheda im D. U. II Nr. 158 S. 117.